



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Svbscriptiones Episcoporum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

PELAGIVS NARBONENSE. MAURICIVS IMPERATOR.  
P.II. RECCAREDV REX GOTH. I<sup>51</sup>

ANNO CHRISTI 589. dicitur Louis, multos excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes & blasphemantes, quicumque ab hac die, præter festiuitates in eo die venientes, ausus vel ausa fuerit vacare, & operam non facere, si ingenuus est aut ingenua, de ecclesia repellendus, & sub pœnitentia mittendus anno vno, & eleemosyna & fletu satisfaciat, vt ei Dominus ignoscatur: si seruus aut ancilla fuerit, flagellis correcti domino consignentur, & ultra talia eos obseruare non permittat.

#### SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Migetius in Christi nomine ecclesiæ catholicæ Narbonensis episcopus has constitutiones, secundum quod nobis cum fratribus nostris Deo conspirante placuit, relegi & subscripsi.

Sedatius in Christi nomine ecclesiæ catholicæ Biterrensis episcopus, his constitutionibus interfui & subscripsi.

Boetius in Christi nomine ecclesiæ Magalonensis episcopus, in has constitutiones interfui & subscripsi.

Pelagius in Christi nomine ecclesiæ Nemausensis episcopus, in has constitutiones interfui & subscripsi.

Tigridius in Christi nomine ecclesiæ Agathensis episcopus, in has constitutiones interfui & subscripsi.

Sergius in Christi nomine ecclesiæ Carcassonensis episcopus, in has constitutiones interfui & subscripsi.

Agrippinus de ciuitate Loteua in Christi nomine episcopus, in has constitutiones interfui & subscripsi.

#### NOTÆ IACOBI SIRMONDI SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Reccaredi Gothorum regis.*] Eiecti e Gallia Gothi a Clodoueo regi, compulsique in Hispaniam, prouincia Narbonensis oram maritimam, quæ ipsis olim a Romanis concessa fuerat, & Gothia de illorum postea nomine dicta est, in potestate sua retinuerunt, quoad tandem Caroli Martelli armis recepta Francorum regno adscita est. Hoc igitur tempore, quia in Gothorum erat imperio, Reccaredi regis nomen huic Concilio præfixum est, qui primus Hispaniæ regum ex Ariana hæresi conuersus catholicam fidem amplexus est.

<sup>2</sup> *Anno Christi 589.*] Huic enim anno congruit quartus annus Reccaredi æra 627. vt est in præfatione Concilii Toletani III. quod hoc ipso anno celebratum fuerat mense Maio. Cui & iidem, qui hic ad-